

*populi* habere potest alias interpretationes, ut supra lib. 3 tactum est, etiamsi intelligatur de civitatibus imperatori subjectis, in ea non dicitur posse ferre leges contra leges imperatorum, sed solum habere potestatem condendi leges proprias, suis moribus accommodatas, quod potest satis intelligi de legibus ultra jus commune, non contrarias illi, sed diversas, et aliquid illi addentes: ergo non est cur illa lex extendatur ad potestatem statuendi contra jus superioris. Accedit quod concessio talis potestatis esset inordinata, et contra debitam subordinationem, atque adeo contra dignitatem propriam ipsius imperatoris, contra quam non solet ipse vel alii reges aliquid concedere. Unde differentia illa impertinens est; quia, si tractemus de absoluta potestate, etiam Pontifex posset illam potestatem communicare inferioribus, licet illam habeat a Deo, et non ab illis, sicut communicat plures alias. Si vero consideremus convenientem usum, etiam imperator non debuit illam potestatem concedere, neque fuisset ordinata gratitudo, sed nimia prodigalitas. Unde etiam non refert quod Panormitanus considerat, quia leges canonicæ ordinantur ad bonum animæ, civiles autem ad temporalia commoda. Nam hoc non impedit quin in utrisque servandus sit debitus ordo; alioqui et ad neutrum finem expedit illa potestas in inferioribus.

12. *Statuta quæ videntur contra jus commune quomodo intelligenda.* — Adde, exempla omnia quæ adducuntur statutorum civilium contra jus commune, non ostendere contrarietatem, sed additionem, et ita non continere propriam positivam derogationem juris superioris per jus inferioris, sed veluti determinationem, aut additionem, ut, verbi gratia, jus commune non permittit aliquem puniri in propriis bonis propter culpam alterius, nisi illius sit particeps, et nihilominus aliqua statuta municipalia id statuunt in certis casibus, quæ justa censentur et valida. Tamen revera hæc non est contrarietas et derogatio, quia jus commune non statuit positivam et generalem legem id prohibentem, sed solum negative, non imponit talem modum pœnæ, et ita solum prohibet imponi ex vi juris communi, non tamen excludit quin alicubi aliud statui possit, si expediat. Quomodo interdum dicuntur quædam esse introducta jure gentium contra jus naturæ, ut servitutes, privata dominia, etc., non quia jus naturæ hæc prohibeat, sed quia ex vi solius juris naturæ hæc non erant, ex quo non sequitur derogatio juris naturalis, sed additio.

Ita ergo possunt illa statuta dici contra jus commune. Quod si in hoc sensu loquuntur juristæ prædicti, non est de nomine contendendum: tamen nec inde sequitur derogatio legis superioris per legem inferioris, nec fere est differentia inter laicos et clericos respective. Nam etiam Episcopi possunt statuere hoc improprio modo contra jus commune, id est, ultra illud, videlicet, reservando casus quos jus commune non reservat, vel addendo censuras, aut alias pœnas in casibus in quibus jus commune illas non præscribit.

13. Adde denique, si per jus commune intelligamus jus civile proprium, posse nunc civitates non subjectas imperio contra illas leges statuere, quia illis non obligantur, cum non sint subjectæ imperatori, a quo jus illud habet auctoritatem. Unde, respectu talium civitatum, jus commune erit jus totius regni, et non jus civile imperatorum, nisi quatenus per jus regni fuerit acceptatum, et contra illud jus regni non poterunt civitates vel principes regi subjecti statuere, derogando illi communi juri, quod vere est lex superioris, in quam non habet potestatem inferior. Nec cum fundamento dici potest esse a rege alieni concessam talem potestatem, nisi ubi fortasse de speciali privilegio constiterit.

14. Secundum dubium est, an statutum inferioris confirmatum a superiori possit nihilominus ab eodem inferiori, qui illud condidit, revocari, non expectato beneplacito superioris, qui illud confirmavit, ut sæpe contingere potest in aliqua congregatione ecclesiastica, respectu Pontificis, et civitate, respectu regis. Hinc enim videtur non posse, quia illa nostra facimus quibus auctoritatem impertimur, ut dicit Pontifex in cap. *Si Apostolicæ*, de Præbend., n. 6, et facit cap. *Pro illorum*, et cap. *Dilecto*, de Præbend.: ergo statutum confirmatum auctoritate apostolica factum est apostolicum; ergo non potest inferior illud revocare, juxta regulam datam. Et confirmatur, quia per illum modum jam est constitutum jus publicum, quod non possunt privati derogare, l. *Jus publicum*, ff. de Pactis, cap. *Si diligenti*, de Foro compet.

15. *Statutum inferioris a superiori confirmatum quam vim habet.* — In contrarium autem est, quia interdum legimus in jure statuta facta ab inferiore, et confirmata a Pontifice, posse valide tolli ex consensu eorum qui statuta fecerunt. Ita habetur in cap. *Cum accessissent*, de Constit., et in dicto cap. *Dilecto*; solum negatur id fieri posse quando in confir-

matione apostolica expresse additur clausula, *ut quidquid in contrarium factum fuerit, irritum sit*: ergo confirmatio apostolica per se non tollit illam potestatem. Sic etiam in l. *Omnium*, cap. de Testament., dicitur testamentum confirmatum ab imperatore posse revocari a conditore; unde sumitur ratio, quia hæc confirmatio solum est quasi conditio, vel solemnitas adjecta tali actui, quæ non immutat naturam ejus, quia non destruit illum: ergo relinquit illum cum eadem dependentia a proximo conditore, quia Pontifex non intendit ponere talem legem, nisi supposita voluntate proximi institutoris. Unde talis confirmatio gratia et favor esse videtur, non coactio, respectu eorum quibus conceditur: ergo, ea non obstante, possunt illi renuntiare tali favori, et consequenter legem abrogare.

16. *Prima sententia.* — *Secunda sententia.* — *Tertia sententia.* — In hoc puncto variæ sunt opiniones. Prima negat absolute tale statutum, seu legem inferioris confirmatam a superiore posse revocari ab inferiore, nisi superior revocationem approbet. Ita tenet Bald. in leg. *Omnium*, cap. de Testament., n. ult.; nullam vero novam probationem adducit. Secunda opinio est, posse inferiorem revocare suam legem, non obstante confirmatione superioris; sentit Bartol. in dicta l. *Omnium*, et latius declarat in leg. *Omnes populi*, ff. de Justit. et jur., n. 33, ubi duas limitationes adhibet, de quibus statim. Tertia opinio est Panormit. in cap. *Cum accessissent*, de Constitut., n. 2, et in dicto cap. *Dilecto*, n. 10, qui distinctione utitur. Quia, vel lex inferioris concernit propriam utilitatem statuentium, et tunc dicit posse ab eisdem revocari, et talem putat esse casum dicti cap. *Cum accessissent*, et similis est in cap. *Pro illorum*, de Præbend., ubi talis confirmatio indulgentia reputatur, seu gratia, cui unusquisque potest renuntiare. Et ita hoc membrum videtur satis probari ratione posteriori loco facta. Vel statutum pertinet ad publicum bonum aliorum, pro quibus conditum est, et tunc inquit non posse revocari, nisi auctoritate Pontificis, postquam illa fuit confirmatum. Hoc enim videntur priora jura et rationes probare; et hæc distinctio videtur communiter probata per doctores eisdem locis, qui partim referuntur in scholiis ad Panormit. et Bart., partim a Felin. in dicto cap. *Cum accessissent*, n. 3 et 4. Idem Sylv., verb. *Statutum*, quæst. 5, et alii Summistæ.

17. *Confirmatio legis duplex: essentialis et accidentalis.* — Mihi autem imprimis videtur

præmittenda distinctio insinuata a Bartol. et Bald., et magis declarata ab eodem Bald. in l. *Ex placito*, cap. de Rer. permut., n. 12, 13 et 15, scilicet, duplicem esse confirmationem legis, unam essentialem, aliam accidentalem. Essentialis vocatur, quando est veluti forma dans esse legi, ut quando inferiores non habent potestatem statuendi, seu ferendi legem quæ vim habeat, nisi prius a superiore confirmetur. Accidentaliter vocatur quando inferior habet potestatem ferendi veram legem, quæ talis sit, et vim habeat obligandi, et nihilominus ad majorem auctoritatem et robur, confirmationem petit. Quando ergo statutum confirmatum, est primi generis, videtur generalis regula, tale statutum non esse revocabile sine auctoritate principis confirmante abrogationem; et in hoc sensu loquitur aperte Baldus, et idem tenet Salicet. in dicta leg. *Omnium*, et in l. ult., cap. de Jurisdiet. omni judic.; et Felin., dicto cap. *Cum accessissent*, n. 5, ubi alios refert. Ratio vero est, quia tunc lex illa vere est condita auctoritate superioris; nam tunc inferior non condit legem, sed quasi postulat a superiore talem legem: ergo non potest revocari, nisi eadem auctoritate qua fuit condita; quia eadem auctoritas requiritur in destruendo quæ in construendo, ut dictum est, et sumitur ex Auth. *Et contra*, cod. de Repud.

18. Hanc vero partem non simpliciter admittit Bart. supra, sed alia subdistinctione utitur. Aut enim (inquit) habentes statutum confirmatum a principe volunt illud revocare condendo aliud illi repugnans, et tunc non possunt sine auctoritate; aut solum volunt, tollendo statutum, redire ad jus commune, et tunc possunt sine auctoritate superioris. Et primum membrum est evidens, ex suppositione in qua loquimur, scilicet, de communitate quæ non potest facere legem validam sine confirmatione superioris: nam inde necessario sequitur quod, si talis communitas velit priorem legem confirmatam, per posteriorem revocare, necessarium sit ut posterioris etiam confirmationem obtineat, alias non erit lex, et consequenter nec poterit abrogare priorem. Posterius autem membrum probatur a Panormitano in dicto cap. *Cum accessissent*, inducendo quasdam leges de testamentis. Sequitur etiam Bald. in leg. *Ex placito*, n. 12, ex alio fundamento, scilicet, quod statutum est favor populi, et ideo potest populus pœnitere, et redire ad jus commune. Idem sequitur Felin. supra, n. 5, verbo *Hanc declarationem*, et va-



riis exemplis et argumentis illam confirmat. Quibus addi potest quod jus commune etiam est auctoritate principis, sicut statutum ab eodem principe confirmatum, et ita, cum relinquatur speciale statutum propter jus commune, non relinquatur sine auctoritate principis, quia princeps, per se loquendo, vult potius commune jus servari quam specialia, quæ sunt quasi dispensationes, et exceptiones a jure communi; et ideo regressus ad commune jus favorabilis censetur, et voluntati principis consentaneus.

19. Sed quid si statutum sic confirmatum tollatur sine novo statuto et sine reditu ad jus commune? Hoc enim membrum reliquerunt Bartol. et alii, cum tamen sit facile possibile. Nam sæpe statutum speciale est præter jus commune, et non contra: tunc ergo poterit abrogari sine reditu ad jus commune, nisi large et improprie, per solam negationem additionis ad illud, quæ non videtur ita favorabilis, sicut positivus reditus ad jus commune. Nihilominus tamen ex fundamento Baldi erit tunc illud statutum revocabile, quia confirmatio data est in favorem, cui possunt cedere illi in quorum gratiam data est. Tunc autem necessarius erit consensus totius communitatis, cujus commodum publicum princeps intendit.

20. Adhuc vero superest difficultas in illo secundo membro; nam statutum confirmatum essentialiter (ut sic dicam) per Papam est papale, quia ibi intervenit auctoritas Papæ, non tantum ut causa universalis, sed ut specifica et propria, ut recte exponit Bald., d. n. 12; ergo nullo modo potest talis lex auferri, nisi per auctoritatem Papæ, sive auferatur per solam ablationem legis, sive transeundo ad aliud jus commune. Probatur consequentia, quia iidem auctores pro regula statuunt, quoties statuentes fecerunt statutum, non propria auctoritate, sed vice et auctoritate superioris, non posse tollere statutum, sed solum superiorem; cum Bart. et aliis tradit Felin. supra, n. 9, et sequitur Navarr., cons. 8 de Constit., n. 1. Responderi potest statutum confirmatum dicto modo nunquam auferri sine auctoritate principis, sed solum renuntiari ex subintellecta illius voluntate, et in hoc esse differentiam inter legem factam ab inferiore postulante confirmationem ejus a principe, et legem datam a principe quasi motu proprio, sive per se, sive per alium, cui suam potestatem commisit. Nam prior censetur solum confirmata in gratiam petentium, vel populi, in cujus commo-

dum cedit, et ideo habet subintellectam conditionem, si ipsi consenserint. Posterior vero lex inducitur ex pura potestate legislativa principis, et ideo non habet in illa locum renuntiatio, sed eadem potestate revocanda est.

21. Hæc responsio et sententia probabilis forte est, mihi vero non satisfacit, quia nulla est lex quæ non feratur propter bonum publicum communitatis, et nihilominus non potest communitas eam tollere, quasi renuntiando favori suo: ergo idem erit in lege data per necessariam confirmationem principis, nam tunc revera a principe fertur, licet præcedat constitutio facta ab inferiori senatu, vel consilio, et principi præsentata ut ab eo confirmetur. Nam illa solum est veluti excitatio potestatis principis, et propositio legis convenientis communi bono; ergo, postquam rex illam confirmat, tam stabilis permanet ac si ab ipso per se lata fuisset. Declaratur et confirmatur, quia in illo statuto vel lege, præter principem confirmantem, oportet distinguere consilium seu congregationem statuentium, et totam communitatem integram pro qua lex fertur, ut est, in religione, Capitulum representans religionem, et tota religio in se spectata. In illo igitur casu Capitulum seu statuentes non possunt revocare legem sic confirmatam a principe, juxta doctrinam Abbatis supra relatam, quia non est facta in eorum favorem, sed totius religionis: ergo neque religio potest illam tollere, nec cedere suo favori, quia non operatur per modum unius, nisi mediante Capitulo. Unde non potest intelligi quomodo tota civitas vel religio renuntiet tali legi, nisi per contrariam consuetudinem, quam oportebit esse toleratam a principe, juxta dicenda in sequenti libro. Unde vix aliquam invenio differentiam inter legem sic latam per confirmationem necessariam principis, vel per propriam ipsius editionem, ideoque censeo non posse tolli a subditis, nisi ubi constiterit solum confirmari cum illa amplitudine, vel per modum favoris, cui possit renuntiari. Et tunc verisimilius erit talem renuntiationem fieri posse per Capitulum, seu per congregationem statuentium, quia representat communitatem, et favor ille debet intelligi concessus modo accommodato tali communitati. Et in eo casu nihil obstat objectio facta, quia, cum dicitur eum, qui vice principis legem posuit ejus auctoritate, non posse postea illam revocare, intelligendum id est, quando potestas solum ad legem ferendam est commissa. Nam si absolute sit ad gubernandum cum potestate legis-

lativa, poterit idem qui legem tulit, auctoritate apostolica, verbi gratia, eam revocare, quia in hoc etiam auctoritate apostolica utitur, et sic Legatus Papæ fert legem per potestatem Papæ sibi commissam, et idem potest illam revocare. Idemque est suo modo in religionibus, et consequenter idem erit cum proportionem in dicto casu.

22. Superest dicendum de lege propria inferioris confirmata a principe, non ex necessitate, sed ad majorem auctoritatem et approbationem. De illa ergo regulariter videtur procedere sententia Bartoli, quod talis lex, non obstante confirmatione principis, potest tolli ab his qui potestatem habent condendi talem legem. Et hoc etiam videtur sentire Baldus in dicta l. *Ex placito*, cum ait talem legem, etiam a Papa confirmatam, non esse papalem, sed semper manere in propria specie statuti, vel (ut sic dicam) legis quasi municipalis: ergo per talem confirmationem non est lex illa facta irrevocabilis a propriis auctoribus, quia non mutavit naturam suam; nec procedit per se a jurisdictione papali. Item confirmatio illa non est constitutiva talis legis, sed potius supponit illam constitutam, et addit quamdam solennitatem accidentalem ad majorem statuti approbationem et auctoritatem: ergo statuentes semper poterunt constitutionem suam tollere, et tunc desinet etiam confirmatio, quasi ad depositionem fundamenti seu subjecti. Hæc ergo sententia videtur mihi vera per se loquendo, id est, nisi aliud constiterit de voluntate principis, quia, licet ejus confirmatio non petatur ut necessaria, nihilominus poterit ipse, si velit, legem facere suam, et ita illam confirmare ut suo nomine subsistat, et tunc non erit revocabilis ab inferioribus: oportebit autem ut de tali voluntate principis satis expresse constet.

23. Ex quibus tandem intelligi potest quid sentiendum sit de distinctione Abbatis; ad utramque enim confirmationem, tam essentialem quam accidentalem, potest accommodari; rarius tamen ac difficilius in accidentali; maxime tamen ad essentialem. Quia, juxta proxime dicta, etiamsi lex ad bonum publicum pertineat, per se non fiet irrevocabilis propter confirmationem accidentalem: nam de illa etiam lege procedit ratio facta. Quia tamen princeps, ut dixi, sic confirmando legem, potest illam suam facere, magis id præsumi potest in lege pertinente ad publica commoda, quam de pertinente ad proprium commodum statuentium. In neutra autem est id facile admittendum, nisi ex verbis confirmationis constet.

24. In altera confirmatione essentiali magis servari poterit illa distinctio, et de illa videtur loqui Panorm. Nam de eadem sermo est in dicto cap. *Cum accessissent*, quia Capitulum Ecclesiæ non potest extinguere dignitatem aliquam sine confirmatione Papæ, et nihilominus ibi supponitur potuisse Capitulum renuntiare tali statuto a Papa confirmato. Addendum vero est, licet hoc procedat, considerata materia et quasi ordinario jure: nihilominus, si Pontifex addat illa verba irritantia: *Quidquid in contrarium factum fuerit, irritum sit*, censetur tale statutum fieri irrevocabile sine auctoritate Pontificis. Ita enim habetur in d. c. *Dilecto*, ubi statutum de quo sermo est, sine dubio erat favorabile his qui confirmationem petierant; ratio vero est, quia potest Pontifex plus concedere quam petatur, et velle, ut illam commoditas, et utilitas talis communitatis, per legem ejusdem communitatis introducta, ita per suam confirmationem stabiliatur, ut mutari non possit ab ipsamet communitate sine suo consensu, quia ad ipsum, ut ad superiorem, spectat inferiorum commoda prospicere et conservare per legem suam, et potest ita illam confirmare ut faciat suam. Hoc tamen in tali materia non præsumitur, nisi per aliqua verba declaretur.

25. E converso vero contingit in alio membro de lege publici commodi: nam si fertur cum confirmatione essentiali principis, ex vi materiæ est lex superioris et irrevocabilis, et hæc præsumitur esse intentio principis, aut Pontificis confirmantis. Nihilominus tamen non est id ita necessarium, quin possit Pontifex confirmare illa statuta, non imponendo necessitatem retinendi illa, sed per modum favoris, cui possit communitas per se, vel per suum senatum, vel Capitulum, renuntiare si velit, ut dictum est, ita ut sit potius concessio potestatis ferendi illam legem, cum potestate etiam tollendi, quam absoluta legislatio. Id autem (ut ego sentio) non præsumitur, nisi in ipsa confirmatione declaretur. Oportet ergo verba confirmationis diligenter expendere, sæpeque mens Pontificis ex petitione intelligitur: nam regulariter ita confirmat, sicut postulat, nisi plus exprimat. Si tamen ex verbis aliud non colligitur, et materia pertinet ad bonum publicum, et confirmatio necessaria est, censetur confirmando facere legem illam suam, et irrevocabilem a subditis, ut sententia communis habere videtur.